

**De ratione, quae morbos inter et aetates diversas intercedat : dissertatio
inauguralis medica ... / auctor Adolph. Ferdinand. Müller.**

Contributors

Müller, Adolf Ferdinand, 1804-
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Litt. Augusti Petschii, 1828.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ctd5e963>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
R A T I O N E,
QUAE
MORBOS INTER ET AETATES
DIVERSAS INTERCEDAT.

D I S S E R T A T I O
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE III. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXVIII.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENSURUS EST
AUCTOR
ADOLPH. FERDINAND. MÜLLER,
HALBERSTADIENSIS.

OPPONENTIBUS:
F. SCHIELE, MED. ET CHIR. DD.,
C. SCHIEGNITZ, MED. ET CHIR. DD.,
F. RUPP, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
LITTERIS AUGUSTI PETSCHII.

MO

О И О Т А Я

СИГАЛЫ ТИ ЗОТЫ СОНДЫ
ТАСТАНДЫ ЗЕЛДЫ

О И Т А ТЫ ЗА І. О.
СИГАЛЫ ЗЕЛДЫ
АКИЛЮ НУРСАЛАМ БЕЛДІ
ПАРДАСАДА
САМДАСА ЗАРДЫЛЫ СТАБЫЛДЫ

Solus et artifices qui facit, USUS adest.

OVID.

VIRO

AMPLISSIMO, ERUDITISSIMO,

FERDIN. BRÜGGEMANN,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PRAECEPTORI IN
INSTITUTO MEDICO - CHIRURGICO MAGDEBURGENSI, MEDICO APUD
MAGDEBURGENSES PRACTICO ETC.

NEC NON

FRATRI

O P T I M O , D I L E C T I S S I M O ,

CAROLO MÜLLER,

MAXIME DE SE MERITO

HASCE

S T U D I O R U M P R I M I T I A S

PIETATIS SPECIMEN

OFFERT

AUCTOR.

Vita humana, a primordiis inde usque ad momentum, quo terminatur, perpetuis vicissitudinibus est obnoxia; etenim homo, quamdiu vita perficitur, neque unum eundemque corporis, neque animi statum obtinet, sed varios evolutionis atque involutio-
nis gradus emetitur: nascitur, crescit et ad summam perfectionem evehit, deinde senescit atque perit. In altero igitur vitae dimidio natus formativus laete viget, in altero corpus sensim sensimque ad exitium fertur, quamvis prima decrementi vestigia non animadvertantur.

Omnes autem et vitae et organismus humani vicissitudines certis tenentur periodis, quae vitae aetates constituunt.

Veteres, animum attendentes ad perpetuam organisi mutationem, annos defenderunt climactericos *) eosque plus momenti in valetudinem exse-
rere judicarunt, quod per experientiam nondum diremtum est.

Recentioris aevi scriptores sex vitae aetates distinxerunt, quarum tres priores, infantilis, juvenilis et virilis, ascendentes, reliquae, quarum ultima est senilis, descendentes sese excipiunt. Per tres enim gradus ascendentes primo processum vitae vegetati-
vum, dein animalem, tum sensibilem praevalere, jam vero si rationem habueris vitae graduum des-
cendentium, eosdem processus inverso ordine re-
peti dicunt.

Licet autem subtilis sit haecce aetatum distri-
butio, fieri tamen nequit, ut plane ad eam nos

*) *Phil. Dan. Seifert, Dissertatio de annis climactericis Jenac 1772.*

conformemus, siquidem vitae gradus descendentes parum accurate inter se discernuntur.

Plouquet *), eandem fere divisionem secutus, pro iuribus, cuique aetati tribuendis, distinxit aetatem infantilem, puerilem, juvenilem, (qua homo sui judicii est) virilem, senilem, quarum cuique adsignavit initium, medium, finem.

Satius autem videtur, natura uti magistra, quae ipsa luculenter aetates ita distribuit, ut embryonis aetatem excipiat infantilis, hanc puerilis, dein sequantur juvenilis, virilis vitamque finitura senilis. Vitae hunc in modum procedentis conditiones et externae et internae, quavis periodo peculiariter modificatae, singularem sistunt inter aetates et morbos rationem, quam adumbrare animus fert.

E M B R Y O

liquore amnii circumdatus, materias a matre receptas lymphaticas et serosas assimilat formandasque singulis organismi partibus impendit. Placenta, bimestre post conceptionem e corii et tunicae deciduae *Hunteri* vasis formata, sanguini decarbonisando inservit, qui, ne citius oxygenio privetur, in glandula thyreoidea, thymo renibusque succenturiatis asservari fertur **). Pulmones nondum agunt, qua re, cum tantam sanguinis copiam transmittere nequeant, quanta adultis transit, aliae viae fetui oblatae sunt, quibus sanguis vitatis pulmonibus in arteriam aortam transeat.

Intestina non nisi meconium suscipiunt, et motus organici, ubi locum habent, reproductioni sunt subjecti, quippe quae in omnibus corporis partibus intense viget, quibus fit, ut fetus maxime propensus sit ad vitia fabricae primitivae, facillime eum affluentia, injuriis matri illatis.

*) *Plouquet* Dissertatio sistens aetates humanas earumque jura.

**) *Kurt Sprengel*, Handbuch der Pathologie. Leipz.
I. Seite 68.

AETAS INFANTILIS.

Dividi potest duas in periodos, quarum altera dentitione terminatur, altera usque ad tempus porrigitur, quo dentes mutantur.

Prima praesertim periodus morbis infestatur, de quorum aetiologya scriptores diversi admodum dissentient.

Zeviani, Boerhaave et van Swieten retento in intestinis meconio neonatorum morbos produci crediderunt, quam sententiam, saepius impugnatam, *Pietro Monterossi* recentiore tempore vindicavit. Sunt praeterea, qui morborum causam imputaverint lacti materno aciditatem adepto; attamen rationem habeamus necesse est mutationum, quae fetui superveniunt in lucem edito.

Dolore, uti videtur, neonatus ad vagitus laces-
situr, quibus insuetam lucem salutat. Feriante igitur respiratione placentaria, aërem atmosphaericum infans haurit pulmonibus, eosque adhuc parvos dilatat, ita ut et sanguinis pars, embryoni per ductum arteriosum Botalli in arteriam aortam translata, pul-
mones subeat, quo facto sensim ille ductus una cum foramine ovali obliteratur. Novis hisce pulmonum functionibus, quibus, sanguine cum oxyge-
nio aëris atmosphaericici intime mixto, calor etiam totius corporis augetur, impeditis, neonatus facile in morbos incidit, et *syncope* quidem oritur, cuius signa sunt respiratio oppressa, cutis pallor et laxitas et frigus, imprimis extremitatum, si mater perdurante graviditate, morbo quodam laboravit graviore, vel si fetus edidit immaturum; existit au-
tem *asphyxia* *), quae nimia sanguinis copia atque plethora cognoscitur, si graviditate rite absoluta fetus plane excultus maturusque difficili partu excusus est, contorto forsitan funiculo umbilicali, et im-
pedito sanguinis e fetu ad placentam refluxu.

Nec minus *intestinorum functio* mutatur. Embryonis ventriculus *intestinorumque tractus* plane fere est iners, ope enim vasorum resorbentium

*) *Henke, Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Kinderkrankheiten. Frankfurt am M. 1818. 1ster Band. Seite 126.*

setum materias a matre acceptas assimilare, supra jam diximus. Neonatis autem cibum praebet lac maternum, quod inbibere jam novit, ubi primum respiravit. Lac primum serosum, colostra dictum, fetus alvum purgandi copiam facit, et ut urina se- cernatur efficit; irritata igitur etiam intestina agunt, praecipue tunicae eorum mucosae nam digestio in- cipit in tubo alimentario et assimilatio.

Quas functiones, quum vi perficiantur satis magna, facile alienari, experientia nos docet, nec mirum est, *acorem primarum viarum, flatulentiam, diarrhoeam, vomitum, choleram, aroi obstructionem* in neonatis per- saepe observari.

Hepar considerare liceat.

Embryoni hepar haud exigui esse momenti quoad haematosin, concludi potest eo, quod sere eodem tempore, quo cerebrum et cor formatur, porro enormi gaudet magnitudine, denique totam sanguinis copiam in se recipit, e placenta per ve- nam umbilicalem advectam. Placenta autem a partu remota, sanguis nec amplius in arterias umbilicales, neque in venam umbilicalem influit, quamobrem haecce vasa et ductus venosus mox obliterantur, et hepatis moles sensim sensimque imminuitur. Jam vero si ad bilis secretionem animum appuleris, he- par isto tempore digestionem multum adjudicare in- telliges, simulque organum exhibere quasi centrale venarum abdominalium, cum sanguini venoso aufe- rat hydrogenium et carbogenium.

Hisce praemissis ad morbos transeamur, qui eo nituntur, quod bilis in duodenum excretio secretioni non respondet.

Icterus neonatorum. Cutis primum subfuscum, deinde flavo rubrum, postremo aurichalceum induit colorem, ita ut coenaesthesia plerumque integra vigeat.

Rosenstein *), *Baumes* et *Cheyne* **) causam morbi

*) *Nils Rosen von Rosenstein*, Anweisung zur Kennt- niss und Cur der Kinderkrankheiten. Aus dem Schwedi- schen übersetzt und mit Anmerkungen von *Loder* und *Buchholz*. Göttingen, 1798. 8.

**) Essays on the diseases of children Essay II. Edin- burgh, 1802.

in ductibus biliferis mechanico impedimento e. gr. meconio obstructis cerni, crediderunt.

Chambon *) dum fetus pelvim transeat, cerebro presso icterum excitari contendit; quod consensus sit cerebrum inter et hepar. *Henke* **) consensum defendens inter hepar et cutem, mutatam utriusque organi functionem magni esse momenti censem.

Eodem fere modo, praesertim si accedat aëris corruptela, oriri videntur.

Erysipelas neonatorum, inflammatio cutis superficialis, quae quidem levior, vel artus, vel collum, vel faciem occupat; vehementior inde a regione umbilicali per totum abdomen et genitalia diffunditur. Febris ei antecedit et dolor et tumor exstant partium inflammatarum. Saepius inflammatio in gangraenam abit.

Induratio telae cellulosa ita irruit, ut subito fere obrigescat infans. Praecipue in genis, extrematis, genitalibus et abdomine durities animadvertisse ea, quae neque cutem, neque telam cellulosam moveri sinit. Cuti cereus est color partesque affectae, doloris expertes, frigescunt. Ceteroquin morbus febre destituitur, neque gangraena finitur.

Cutis, antea organon resorptionis, post partum in organum perspirationis mutata, nimirum est sensilis, tenera et mollis, neque assuefacta aëri aliisque injuriis, quae eam invadunt. Per nervos consensum alit cum tractu intestinali, qua re multi morbi producuntur. Interdum vitia offert cutis, quae haud dubie originem debent reproductioni uberiori et nutricis indoli singulari, abs qua pendet infans; inde *exanthemata* ***).

Nervi neonatis nondum rite sunt formati, ganglia adhuc cerebro praestant, et receptivitas non aequa-

*) *N. Chambon*, de Maladies des enfans Paris, an VII. übersetzt von Becker. Berlin, 1806.

**) *Adolph Henke*, Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Kinderkrankheiten, Frankfurt a. M., 1818. T. I. S. 179.

***) *Joh. Wendt*, die Kinderkrankheiten, systematisch dargestellt. Berlin und Leipzig, 1826. S. 153 und 242.

bilis in omnibus partibus corporis locum habet, ita ut incitamenta externa, hominem ad ultum nihil sufficientia, vehementius offendat infantem, doloremque excitent et febrim et spasmos. — Spasmi nituntur sublata ratione normali, quae inter nervos intercedit et musculos. Eorum notatu dignissimi in neonatis sunt interni, trismus, tetanus.

Interni primo maxime semestri observantur, infantesque citra ordinem et inopinanter adoruntur, saepe dormientes. Aegri lecto tenentur, oculis semiapertis et distortis, ita ut sclerotica tantum in conspectum veniat; vel rigent oculi et motu carent. Faciei quoque musculi distorquentur, neque raro infantes ridere videntur.

Somno excussi vagiunt et lacrymant, et involucris liberati levamen sibi afferre student, attractis ad abdomen extremitatibus. Praeterea faciei colorem offerunt mutatum, atque huc illuc caput agitant.

Et finitur quidem insultus vel vomitu, vel diarrhoea, vel sudore prorumpente, vel flatibus maxime foetentibus. Paroxysmis iterum iterumque reversis, infantes per intervalla etiam morbi vestigia praeferunt, ex. gr. pallorem faciei.

Haecce spasmorum symptomata plerumque antecedunt:

Trismo neonatorum, sed certius judicium est, ubi muscularum rigor maxillam, collumve infestat et fauces quasi arctantur, quibus symptomatibus, nisi post breve desinant, respiratio impedita rigorque totius corporis junguntur, ita ut corpus inflecti nequeat, et urina et alvus retineantur. Sic morbus in *tetanum* vertitur, et aegri ut plurimum suffocatione et apoplexia extinguntur.

Inde ab octavo circiter mense dentes lactei erumpunt, et hoc quidem tempus summa attentione dignum est. Non solum enim hac vitae periodo vegetatio maxillarum valde intenditur, sed plura etiam systemata ad majorem simul actionem suscitantur. Infans, qui hucusque fere plantae instar vitam degit, nunc et functiones animales obit, et validius in incitamenta reagit sibi illata. Sensuum organa perfectiora redduntur vultusque insigniores, et primi animadvertisuntur conscientiae igniculi.

Cerebri substantia medullaris, intestina, et quae assimilationi praesunt organa, magis magisque excoluntur. Ablactationi enim maturus solidiorem infans subigere incipit cibum. Motus musculares evidentes apparent, infans pedibus insistere, et situ uti erecto condiscit.

Dentitioni plerumque antecedunt rubor, calor et tumor gingivarum salivaque movetur. Saepius etiam symptomata cernuntur graviora, inquies, febris, pavores inter somnum, alvi obstructio, diarrhoea, vomitus, spasmi, convulsiones, quae si per longius tempus protrahuntur, summum infantis inferunt periculum.

Cum ad cerebrum rite excolendum major sanguinis copia capiti affluat, interdum capitis exanthemata cerebrique affectiones observabis, licet cerebri affectiones multo frequentiores sint, dentitione peracta.

Altera aetatis infantilis periodo ossa imprimis conformantur et sensuum organa recipiendis impressionibus aptiora fiunt. Sensibilitas et irritabilitas admodum augetur, et singula systemata magis magisque segregantur. Infans loquela uti et cogitata verbis explicare incipit, in dies magis adolescit et suae spontis fit. Reproductio adhuc pravalet.

Morbi autem, hac vitae periodo orientes, non solum ad reproductionem pertinent, sed sensibilitatem et irritabilitatem subigunt.

Morborum mentione dignissimi sunt:

Encephalitis exsudatoria. — Hydrops cerebri acutus.

Prodromi. Infantes mutato animo tristitia afficiuntur, moerore, somnolentia, ambulantes titubant, et urinam reddunt sero lactis similem; exanthematis etiam sicci, circa externum brachii latus genasque et labia apparentis, *Odier* *) et *Formey* **) mentionem fecerunt.

*) *Odier medicinisch chirurgische Abhandlung von der Wassersucht der Gehirnkammern*, a. d. Franz. Leipz. 1785.

**) *L. Formey von der Wassersucht der Gehirnhöhlen*, in *Horns Archiv*, Jahrgang 1810. Bd. I. S. 219 ff.

Symptomata morbum haecce comitantur: dolor capitis internus, ingens, imprimis frontis, oculi, rubri, lucis, aures sonorum impatiens, facies plerumque pallida, frons collumque calida, labia aestu fissa, inquies et anxietas, pulsus celer variabilis, alvus obstructa, abdomen collapsum, nausea, vomendi conatus, et erecto imprimis corpore, vomitus, pavores in somno.

Causa hujus morbi praedisponens haud dubie cerebri vegetatione majori, inde a dentitione incipiente, et per hanc vitae periodum perdurante, nititur, quibus elucet, infantes, quorum ingenium maturius excolatur, facilius infestari.

Causam occasionalem offert, quidquid sanguinem validius ad cerebrum compellit, ut vomitoriorum abusus, vis capiti illata, multaque alia.

Encephalitis infantum morbus est acutissimus et plerumque in exsudationem transit, — *hydrops cerebri acutus* — quem indicant: capitis gravitas, somnolentia, coma vigil, pupilla dilatata, immobilis oscillans, respiratio cita brevis, pulsus celer irregularis, cutis calor urens, lingua sicca, urinae excretio invita, alvi obstructio, vomendi conatus, vomitus, spasmi, convulsiones, deliria musitantia, sopor, paralysia. Mors ultima linea rerum.

Angina membranacea, polyposa.

Prodromi morbo antecedunt vel nulli, vel catarrhales, lassitudo, moeror, tristitia, capitis dolor, horripilationes, iterum iterumque redeentes, quos aestus sequitur, aliaque.

Inflammata dein tunica laryngis et tracheae mucosa, oritur dolor, elevato larynge ad deglutitionem augescens, acutus inter loquendum et vociferandum, febris acuta inflammatoria, urina rubra et parca, inspiratio sibilans, respiratio difficillima, vox vel rauca, gallicinio similis, vel nulla. Morbo ingravescente facies tumescit et rubescit, extremitates frigescunt, et inter summas calamitates aegri suffocantur, lympha nimirum coagulabili subito exsudata, neque tussi, neque vomitu rejecta.

Causa praedisponens organismo tum temporis

excolendo innititur, quo fit, ut systematis arteriosi actio valde augeatur, praesertim si accedat aëris constitutio epidemica.

An praedispositio etiam laryngi insideat, singulatim construendo, uti Richter *) et Formey **) tradunt, in suspenso relinquam.

*Febris meseraica ***)*

originem petit ab inflammatione glandularum meseraicarum.

Infantes primum ignavi evadunt et morosi, et quamvis corporis agitationem perhorrescant. Deinde frigore afficiuntur, cui mox calor succedit; observantur anorexia, capitis dolores, sitis ardens, vomendi conatus. Serius ocius abdomen pedetentim tumescit, et tensum se praebet, imprimis hypochondrium versus dextrum; tactu dolet. Cutis est calida sicca, pulsus frequens duriusculus, liugua media muco obtecta subalbido, sapor haud pravatus; urina magis saturata, plerumque nubeculam ostendit, alvus tarda animadvertisit et rara. Febris initio pluries per diem exacerbatur, deinde ita decurrit, ut tempore matutino remittat, et nocte incipiente exacerbetur, ubi symptomata vehementiora, imo deliria, in aegrum irruunt.

Morbus vel decrescit, accidente diarrhoea spontanea, urina hypostatica, vel sudore matutino prorumpente, vel abit, gangraena exorta, in febrim putridam malignam, quae aegrum trucidat. — Causa efficiens in eo est, quod hac vitae periodo non solum irritabilitas systematis vasorum adaucta, sed major etiam existit energia organorum, nutritioni praefectorum. Saepius etiam accedit constitutio aëris atmosphaericí epidemica ****).

*) Aug. Gottl. Richter, specielle Therapie, Berlin 1817. herausgegeben von Dr. Georg Aug. Richter. Bd. I. S. 478.

**) Horns Archiv 1812. Bd. II. S. 505.

***) Baglivi de praxi medica. Lugduni Bat. 1699. Lib. I. Cap. IX.

Wendt l. c. p. 229.

****) Hopfengärtner in Hufeland's Journal. B. I. p. 503.

Causae occasioales in vitiis diaetae cernuntur.

Superest, ut morborum mentionem faciamus, ad quos infantes proni esse videntur, et teneritate et debilitate organismi, nervorum imprimis resolutione.

Asthma acutum millari

sine prodromis plerumque incidit.

Primus paroxysmus infantes subito adoritur, maxime noctu. Aegri somno excussi vagiunt, dyspnoea vel orthopnoea afficiuntur, et permagnam sentiunt pectoris oppressionem. Vox rauca est et aspera, tussis, nisi desideratur, canum latratui similis, facies rubra, febris vel nulla, vel mitissima. Pulsus frequens, parvus, spasticus observatur, cutis que sicca, urina redditur pallida. Primo quidem paroxysmo finito, aegri mox vires recuperant, elapsis autem aliquot horis, vel proxima nocte accessio revertitur plerumque vehementior, saepius enim eum prosequuntur pulsus intermittens, convulsiones, syncope, mors suffocativa. Paroxysmi, nunc duo horae minuta, nunc duas per horas protracti, maxime ructu, vomitu, vel sternutatione finiuntur.

Per intervalla aegrotorum respiratio paullo brevior et difficilior apparet, quam sanorum, urina est pallida.

Omnia haecce symptomata actionem nervorum, imprimis eorum, qui respirationi inserviunt, perturbata in esse, satis demonstrant. Injuriae igitur, quae vasorum pulmonalium irritabilitatem minuunt, pulmonumque incitabilitatem augent, morbum inducere valent, ex. c. aër hibernus frigidus humidusque.

Tussis convulsiva.

Stad. catharrhale. Symptomata conspiciuntur catarrhalia, tussis sicca sat mitis, oculi splendore carentes, sternutatio iterum iterumque repetitu, vox rauca, somnus inquietur, febris catharrhalis et alia.

Satdium hoc circiter octo dies continet.

Stadium convulsivum. Paroxysmi tussis frequentiores

tiores aegrum infestant. Crebrae exspirationes continuae longa intercipiuntur inspiratione clangosa. In eunte graviore paroxysmo, facies tumescit atque livescit, oculi rubentes quasi exorbitant, colli venae sanguine turgent, arteriae pulsant, sudor frigidus faciem obsidet, extremitates frigescunt, pulsus intermittit, imo sanguis profunditur ex ore, naribus et pulmonibus; apparent secessus urinae et alvi inviti convulsiones, asphyxia, mors.

Evenit autem, ut paroxysmus quandoque ad decem horae minuta protrahatur et vel sputis mucosis, vel vomitu excipiatur, quo facto infantes sensim reficiuntur. Intervalla certis finibus non limitantur. Paroxysmo reddituro pruritus praecordiorum antecedit, et sensus oppressionis tracheae et pectoris, vel vertigo.

Stadium hoc ad sextam hebdomadem interdum extenditur.

In stadio decrementi tussis magis magisque demulcetur et morbus vel in sanitatem vertitur, vel in alios morbos transit, exempl. c. exsudatione ad cerebrum orta, in apoplexiā, vel recidiva tussis evadit.

C. praedisponens a receptivitate pendere videtur, aetati infantili propria. Contagium enim, vel aëri, vel organismo insitum, praecipue nervos organorum respirationis, diaphragmatis et ventriculi afficere videtur, ita ut incitabilitas organorum, imprimis ad quae nervus vagus decurrit, admodum intendatur.

Morbis, huic vitae periodo inimicissimis, initio primaria affectio systematis lymphatici subesse videtur, qua fit, ut processus vitae vegetativae prevalens secundarie turbatus, functionem sibi competentem non rite exerceat.

Scrofulosis.

Distinguenda est diathesis scrofulosa et scrofulosis ipsa.

Diathesis ex habitu illo peculiari, satis noto, facile cognoscitur.

Symptomata morbi: Omnes fere glandulae lymphaticae, praecipue circa collum, cervicem et in-

guina sitae, tumescunt, interdum inflammatae dolent, suppurant, vel in duritiem abeunt et immobiles fiunt.

Deinde partes glandulis repletæ inflammantur, imprimis palpebrae, nasi alae, anguli oris etc. Postremo capitis tinea variaeque impetigines, ut achores, sese ostendunt, quibus saepenumero junguntur motus febriles, atrophia, febris lenta multaque vitia localia.

Dispositio ad morbum haud raro a parentibus ad prolem propagatur. Morbum producunt injuriae, quibus intestina et cutis infestantur.

Atrophia

creberrime scrofulosin subsequitur. A digestionis alienatione ejusque sequelis orditur; paulo post totum corpus macrescit, abdomen autem praeter normam distenditur; glandulae enim meseraicae tumescunt et partim indurescunt.

In morbi acmaea febris lenta supervenit, primum vespertino tempore, postea quoque meridiano exacerbationes praestans, donec omnes aegroti vires, nisi promptum auxilium feratur, confiantur.

Morbus maxime eo tempore in lucem prodit, quo infantes mammis desuefiunt, quod tunc facilius cibis obruuntur.

Rhachitis

iisdem fere signis conspicua, ab atrophia tamen eo differt, quod ossa mollescunt et curvantur: inde tumor ossium capitis, antice potissimum, pectus carinatum, costae depresso, vertebrarum columnam cruraque incurvata.

Causa morbi proxima nondum satis indagata est, quamquam negari nequit, et in rhachitide systematis reproductivi, vasorum potissimum lymphaticorum, functionem perturbatam esse.

Sunt qui contendent rhachitidem originem trahere ex ossium inflammatione; attamen inflammatio ossa demum afficit, carie accedente et spina ventosa.

Scriptores recentioris saeculi sententiam in medium protulerunt, rhachitide ossium incrementum minui, propterea quod calcarea phosphorica, per

vasa resorbentia in urinam transposita, e corpore removeatur *).

AETATE PUERILI

homo paulatim obtinet gracilem corporis statu ram. Dentes lactei radicibus resorptis excidunt et dentes apparent perennes, quorum structura firmior est et regularior. Insimul excoluntur sinus, circa narium cavitatem siti. Vasa multo perfectiora redduntur, et cum sanguinis circulatio majori perficiatur impetu, lympha sanguinis plastica facilius a cruce secedit, qua ex causa tantum illud proceritatis augmentum, huic vitae periodo proprium, quod demum incipiente pubertate retardatur, proficisci videtur. Muci narium, salivae et lacrymarum secretio imprimis aug- getur, nec parum corroborantur musculi, quorum fibrae rubriores et irritabiliores efficiuntur, quapropter motus corporis multo promptiores observantur.

Animi facultatum memoria reliquias antecellit et recipiendis tenaciter rerum criteriis longe aptissima est. Inde ab hoc tempore puerum nova condiscendi et imitandi studium et ambitionem prae se ferre, animadvertisimus.

Morbi, aetate infantili nobis occurrentes, hanc quoque aetatem comitari, vel ex prima vitae periodo ad puerum transire solent, attamen plerumque aliam formam induunt, natura enim animi corporisque evolutione gradatim procedente, morbos opprimere conatur, qui infantem affecerunt. Praeter hosce morbos sub finem aetatis puerilis quidam reperiuntur, magis ad juvenem referendi.

AETAS JUVENILIS.

Organismo humano viribus satis firmato, pubertas accedit et pueris quidem sub annum decimum quintum, aut sextum. Partes genitales, hucusque imbecilles, amplificantur et semen primum

**) Adolph Henke I, c. Vol. II. p. 244.*

in vesiculis seminalibus adservatur, simulque barba uberior et pubes succrescit. Pars seminis secreti, si quis eo abundat, pollutionibus nocturnis e corpore removetur. In juvene enim sanguineo, succulento et sanitate integerrima gaudente perfectissima, haecce seminis excretio naturae congrua haud dubie existimari potest.

Simili ratione, sed paulo maturius, puellae ad functiones sexuales adaptantur. Novo enim naturae nisu sanguis omnis puellis incitatur, mammae efflorescunt et pubes; nymphae majores efficiuntur et colorem recipiunt paene fuscum. Pelvis ossa et ligamenta sensim sensimque firmantur, ossaque ilium invicem magis distantia, sacrum os ab ossibus pubis magis retroversum, et ossa ischii longius segregata inveniuntur.

Mutatio autem maxime notabilis utero ipsi supervenit. Non solum uterus rite formatur, sed etiam vasa ejus, quae hactenus liquorem aliquem, in fetu albissimum, in puellis serosum, ad cavum uteri devexerunt, sanguine turgere incipiunt, et varia mensium molimina, tensio lumbaris regionis, crurum lassitudo, cephalalgia et alia observantur. Remissis hisce post aliquot dies incommodis, vasa uteri solitum sanguinem edunt, et primo quidem muco mixtum. Sed intervallis incertis, quaternis aut quinis septimanis, eadem molimina redeunt, idemque sanguinis fluxus succedit, qui corpore prorsus sano, nisi graviditate intercurrente retineatur, usque ad quinquagesimum circiter annum certis periodis repetitur. Eodem tempore, quo partes genitales excoluntur, utriusque sexui vox mutatur. Juvenis vocem obtinet pleniorem et graviorem, virgo clariorem et insigniorem. Tum quoque veneris desiderium, imaginatio variique animi motus valde concitantur. Juvenis gloriae et honoris avidus, forti animo viriumque memor, vitae tramitem ingreditur, neque raro temere pericula subit. Puella autem nubilis, mox omni gratia et lepore instructa, abjectis nugis et ineptiis puerilibus, viro se dedit, divino instinctu quasi ingenita et animata. Severiores quidem disciplinas plerumque fugit, sed animum adtendit im-

primis ad ea, quae res spectant familiares, desiderium enim ei innatum est, sobolis procreandae.

Huic vitae periodo vasorum irritabilitas admidum aucta competit. Cerebro satis exculto sanguis, propter capacitatem cerebri vasorum minutam, praeципue ad pulmones tendit et efficit, ut respirationis processus majore peragatur vigore, quamobrem inflammationes, sanguinis praesertim e pulmonibus profluvia acuta, vasorumque systematis morbi facilime juvenem infestant. Proinde etiam, quum organa respirationis fastigium assequantur, dispositio phthisica, saepe hereditaria, collo longo, thorace plano et angusto, scapulis depresso, colore laeto roseo, cute pellucida, hilaritate et praecoci ingenii alacritate cognoscenda, non raro in phthisin ipsam abit. Tum gravitas, thoracis dolor, tussis primum sicca, deinde sputis conjuncta, dyspnoea continuo increscens, horror vagus, calor solito auctior, manum admotam fere urens, aegroto tamen vix molestus, nisi sumto cibo in volis manuum et in pedum plantis, rubor genarum circumscriptus (*febris hectica*), postremo virium prostratio signaque colliquationis oriuntur.

Sexui sequiori major est ad morbos dispositio, quam potiori mulieribus enim systematis nervosi longe major est mobilitas, et ad animi affectus facilior propensio, muscularis autem vis debilior, tela mucosa laxior, cutis tenerior; praeterea hoc tempore partes genitales majorem ambitum adipiscuntur, quam in viris. Vita totius corporis exaltata, facile sanguinis congestiones, palpitatio cordis, epistaxis haemoptysis adducuntur, nec raro, sanguinis turgore in vasis uteri locum habente, symptomata inflammationis uteri, molimina mensium dolorifica oriuntur, quae, cum nervorum incitabilitas simul permagna adsit, saepius affectionibus stipantur spasticis, unde colica menstrualis.

Et humoris, qui menstruatione emittitur, copia atque fervore seminarum genitalia externa interdum inflammari, imo furorem uterinum excitari, silentio praeterire non possum.

Menstruatione deficiente, ut plurimum chlorosis in conspectum prodit, vel florida vel atonica *).

Chlorosi florida *) puellae conflictantur, justo maturius adultae, quae viribus sunt integris, fibraque instructae satis rigida. Menstruatio his vel nunquam apparuit, vel semel iterumque parca et irregularis non facile revertitur, quo facto molimina menstruationis vehementiora accedunt, et symptoma exacerbantur, quae sanguinis plethoram et universalem et uteri partialem demonstrant.

Chlorosis autem atonica *) puellas afficit, parum excultas. Singulae hisce corporis partes nondum inter se conspirant, vel organismus, summa virium contentione justam proceritatem consecutus, nunc prae se fert pallorem cutis, imprimis labiorum et generum, quibuscum symptomatibus laxitas muscularum, lassitudo, dyspnoea, apepsia, oedemata pedum sese conjungunt.

Utraque chlorosis species eam agnoscit causam, quod excolenda organa sexualia et organismi actioni inter se discrepant.

Nec minus hoc vitae tempore affectiones incurvant systematis nervosi.

Quo enim majoris momenti sunt genitalia excolenda, quo magis eorum permutatae functiones rationem pervertunt, quae antea exstitit inter singula organorum systemata et quo multiplicior majorque sympathia apparet, quae vigore genitalium exorto inter ganglia et cerebrum se manifestat: eo majore vi impedimenta mutationis genitalium necessariae in totum nervorum sistema reagant, necesse est. Omnes tamen, quas retulimus, conditiones ad muliebrium imprimis genitalium evolutionem pertinere, dicendum est, unde propensio illa mulierum quae tum temporis viget, ad varios spasmos, convulsiones, hysteriam, sensations anomalas perturbationes mentis: melancholiā, maniam, quamvis nonnullis horum morborum, praesertim affectioni-

*) Wendt l. c. p. 620 ff.

bus spasticis, pueros etiam pubescentes laborare, largiendum est *).

AETAS VIRILIS

inde ab anno vicesimo quinto ad quinquagesimum extenditur.

Virili aetate organismus summum perfectionis fastigium assequitur. Quamvis enim proceritatis jam nihil corpori addatur, totus tamen organismus corroboratur, in latitudinemque extenditur, quae quidem corporis evolutio quantum annis accedit, tantundem hebescit, ita ut novissime ad animi vires solummodo pertinere videatur.

Facultas, prolem propagandi in viro viget, et animus corpore excolendo non impeditus, mira quadam firmitate libertateque excellit, quibus intelligitur, hanc aetatem per se quidem ad morbos non pronam esse, quippe quae summae pae se ferat effigiem sanitatis, sed omnes fere morbos, quibus vir afficiatur, excitari casu interveniente, rebusque externis, eum offendentibus. Quin imo, si organismo morbo quodam tactus, victor discesserit, facile rationem, quae antea inter singula organorum systemata intercessit, tam materialem quam dynamicam, pro insigni, qua pollet, facultate rebus externis resistendi in integrum restituere valet. Attamen hac aetate magis proiecta, systematis arteriosi capacitas sensim imminuitur, quod sanguinis in venis accumulationi favere animadvertisimus. Jam vero, cum vena portarum quasi centrum sistat venarum abdominalium, hanc aetatem exeuntem imprimis morbis abdominalibus, haemorrhoidibus, arthritide et hypochondria affici appareat, praesertim coitu nimis frequentato.

Haemorrhoides cognoscuntur profluvio sanguinis sinceri, vel materiae mucosae ex vasis recti intestini internis aut externis, circa ani limbum locatis, aut certe molesto ad hoc profluviu conamine.

*) F. W. von Hofen, Versuche über Nervenkrankheiten. Nürnberg, Schrag, 1813. p. 115.

Inter molimina haemorrhoidalia pertinent: pruritus et calor ani, faeces durae et siccae, quarum secessio aegrotis dolorem ani excitat, lumborum, ossis sacri, ilium, hypogastrii intestinorumque dolores, sudor perinaei localis, dysuria, aut excretio muci per urethram, abdomen tumidum, functiones abdominales perturbatae et alia. Nec raro haemorrhoides sanguinis congestiones movent ad ventriculum, pulmones, cutem, imo cerebrum, plerumque autem ad urethram, variosque producunt status morbosos, similes saepe ac intestino recto.

C. occasioales sunt, quae sanguinis circuitum impediunt, ut vita deses, vel quae efficiunt, ut major sanguinis copia irruat, in vasa intestini recti, irritantia igitur quaecunque, aut ano aut intestinis illata, denique metastases.

Arthritidem manifestam regularem prodromi antecedunt, qui maximam partem originem trahunt ex perturbata organorum abdominis functione: anxietas praecordiorum, sensus gravitatis in ventre, alvus obstructa, lingua muco obtecta, aliaque observantur vitia digestionis, quae omnia sensim increscent, donec paroxysmus, vel noctu vel sub lucem plerumque, incurset. Aegri e somno excitati, dolore afficiuntur articulorum, qui quidem initio eum aemulatur, qui luxationem excipit, cum sensu singulari, tanquam aqua frigida dolenti loco superinfundatur, deinde in lancinantem, rodentem, urentem vertitur. Arthritis podagra dicitur, hallucem et pedis articulationes, chiragra articulationes manuum et digitorum, gonagra genua afficiens, Si omnes morbo laborant articulationes, universalis appellatur. Initio tantummodo venae tumescunt partis affectae, lapsis autem duodecim aut viginti quatuor horis, arthriticus dolor calorem, tumorem et ruborem excitat artuumque immobilitatem. Febris arthritidem regularem comitans, febri rheumaticae similis est, et finitur urina hypostatica mucosa, sudore et alvo laxa.

Quo diutius et gravius afflixit morbus, eo maiorem corpus opportunitatem recipit, ut quavis occasione oblata paroxysmus facilius recurrat.

Arthritis irregularis incertis temporibus modo hanc modo illam corporis partem infestat; dolores facile in constantes fixosque abeunt; ubi longius protrahuntur, saepenumero concrementa producunt calcarea et acida, tophos, nodos (*arthritis nodosa*).

Arthritis occulta imprimis interna corporis organa invadit et variam sese gerit *vel retrogradam*, si paroxysmi antecesserunt arthritidis regularis manifestae, vel *atonicam*, ubi organismus viribus caret, morbum foras pellendi.

C. proxima inest dyscrasiae peculiari, qua materiae generantur calcareae, nervos irritantes.

C. occasioales sunt hereditas, excessus in Veneri et Bacho diaeta vitiosa et vita laboriosa subito in otiosam mutata. Sunt, qui dicant, succos spermaticos non nihil ad arthritidem eliciendam conferre, monentes, in impuberibus non nisi hereditarium, in foeminis rarius quam in viris reperiri.

Hypochondriae atria sunt digestionis et assimilacionis organa. Symptomata morbus habet dyspepsiam et apepsiam, unde lingua muco obtecta, pyrosis, acor primarum viarum, borborygmi, alvi exoneratio irregularis, alvus tarda, sicca, obstructa, interveniente diarrhoea, muci secretio aucta etc. profiscuntur.

Aegri quoque laborant propensione ad spasmos abdominales, qua de re insultu imminentem, urina est pallida et copiosa, exeunte autem magis saturata redditur. Perspiratione minuta cutis plerumque est sicca, sudores tamen adsunt non raro locales. Praeterea observantur clavus hypochondriacus, globus hystericus, sensationes anomalae, animus tristis, cura anxia valetudinis propriae, imaginationes mirae.

C. occasioales sunt vel physicae, vel psychicae. Inter physicas referenda sunt: vita deses, diaeta prava, Veneris desiderium concitatum, haud satiatum, onania, pollutiones immodicae, irritamenta rheumatica, psorica, syphilitica et arthritica Psychicis causis adnumeramus quoscunque animi motus deprimentes, mentis contentiones nimias, ex. gr. studia nocturna.

Haec de morbis sufficient, quibus viri imprimis afficiuntur. Reliquum est, ut de mulierum ae-

tate virili dicamus, quam si exakte pertractare velimus, majori premimur difficultate. Etenim axio-
ma illud persuasum habeo, virilem mulierum aeta-
tem certis annis limitari non posse, sed mulierem,
si primum conceperit, virilem aetatem ingredi, si
menses cessaverint, egredi existimo. Hac aetate
maximi momenti res nobis occurrit: graviditas,
quod inde a conceptione sistema sexuale ceteris
multo praestat. Graviditate enim, cum reproduc-
tio valde augeatur, plethora et congestiones sangu-
inis ad caput visceraque facile existunt. Deinde
etiam uteri incitabilitas ad summum evecta, multi-
farium consensum excitat, nec ulla fere pars organi-
smi reperitur, quin multarum particeps sit muta-
tionum; inde capitis et dentium dolores, vertigo,
spasmi, convulsiones, nausea, vomitus multaque.

Postremo volumen uteri amplificatum situsque
ejus mutatus organa afficiunt vicina, imprimis vasa
abdominis majora, intestinum rectum, vesicam urinariam,
unde varices, oedemata pedum, alvus op-
pressa et alia.

Nec tamen praeteriri debet, qui morbi men-
sium cessatione fulciantur.

Sunt quidem mulieres, quarum menses sine
ullo incommodo morbosoque impetu cessant, ita
ut menstrua, antequam plane evanescant, et par-
cius et rarius (mensibus duobus tribusve interjec-
tis,) edita, tandem non revertantur. Plerumque ta-
men hancce mutationem morbi molestiaeve comi-
tantur; nam systemate uterino debilitato atque la-
befacto, ordo ratioque, quae antea locum habebant
inter vasorum sistema atque genitalia, invertitur,
quapropter vis plastica, non plane quidem extinc-
ta, sed usque adeo relaxata, ut ad sobolem procre-
andam sit parum idonea, finibus organismi mulie-
bris coërcetur. Quum igitur quod formet, non ha-
beat, simulque functione reproductive non occupe-
tur, provocandis pseudo organisationibus non raro
impeditur. Hinc non modo illo tempore, quo
menses cedunt, sanguinis congestiones, sed etiam
opportunitas ad scirrhum, carcinoma, polypos, tu-
mores cysticos etc. viget.

AETATE SENILI.

Homo a summo perfectionis fastigio gradatim descendit, ita ut, quanto plus annis adjiciatur, eo plus vitae detrahatur. Quodsi ad singulas quidem mutationes animum advertas, vitam vegetativam pri-
mūn diminui, dicendum erit. Functiones enim organorum, quae nutritioni imprimis inserviunt, magis magisque debilitantur. Masticationi impedimenta obtruduntur, dentibus vel hebescentibus, vel jam deficientibus. Ventriculus et intesiina officiis suis, cibos digerendi, non pariter ac antea funguntur; chylificatio igitur, sanguificatio, nutritio et reproduc-
tio, diminuuntur, unde patet, adipe consumto se-
nem macie tabescere, corporisque habitum atque nitorem amittere, rugisque arari, cute muscularorum tractus sequente. Capilli etiam canescunt.

Neque sola mutatio quantitatis, sed etiam qualitatis in conspectum venit: Ossa fragiliora fiunt, atque rigida, ossium latorum diploë resorbetur, aut substantia ossea suppletur, ossium longorum tela cellulosa evanescit. Cartilagines arescentes, cortice osseo obducuntur, vel plane ossescunt, ita ut earum mobilitas et elasticitas consumatur, quapropter cor-
poris motus impediuntur, aut aegre perficiuntur;
senes ad ossium fracturas propendent. Thoracis quoque mobilitate restricta, parum commode cedit respiratio. Musculis, amplitudine minutis, lymphae et sanguinis exigua tantum copia inest, et textus mucosus conficitur.

Vires aequae franguntur, ac corpus collabitur, inde muscularum infirmitas, artuum tremor, et cervicis curvatio.

Vasa quoque mirae cuidam obnoxia sunt mu-
tationi, arteriarum enim majorum tunicae condensantur, imo ossescunt, et vasa minora, praesertim anastomoses, impervia fiunt. Arteriis non amplius praevalentibus, venarum sistema arteriosum pre-
cellit, imprimis in ventre, qua re haud raro haemorrhoides fluentes, vomitus et mixtus cruentus efficiuntur.

Prae ceteris autem secretiones et excretiones a statu normali alienantur. Urina copiae quidem multum amittit, attamen abundat ureo et calcarea phosphorica, cui saepenumero mucus immiscetur, nutritione parum succedente. Inde senes propensiores ad calculos urinarios et arthritidem reperiuntur, nam arthritidem et lithiasin morbos esse similes, arbitrari liceat, primo quod urinae acidum phosphoricum imminuitur, antequam podagra aegrum adoritur, deinde quod arthritidis affectiones saepenumero cum incommodis lithiasis confundi, et impuberes, podagricis genitos, laborare quandoque calculis urinariis, constat.

Perspiratione impedita, cutis sicca et squamosa redditur. Quod autem perspiratione secernitur, acrius fit, unde sudor senum graveolens, et intertrigo nascitur. Quo vero parciorē sese praebet perspiratio cutis, eo magis augetur pulmonum, siquidem natura damnum aliquod functionum actione vicaria quasi compensare studet, quamobrem os foetet, larga viscidī muci secretio, asthma, tussis pituitosa etc. oriuntur.

Tandem metamorphosis, senili aetati propria, sistema quoque nervorum invadit. Cerebrum et nervi corrugantur, coalescunt meninges, cerebri gyri sensim evanescunt, organa sensuum officia sua non amplius rite praestant. Quo magis vita cerebri vegetativa labat, eo magis vires extinguntur animi. Primum memoria languescente cogitationes errant, deinde imaginatio hebescit, postremo judicium abletur, quibus adjungitur muscularum imbecillitas. Ex relaxatione nervorumque resolutione saepenumero originem trahunt hemiplegia, paresis et paralisis extremitatum, imprimis inferiorum et systematis uropoëtici, intestinorumque inertia. Sic tandem homo, vitae cursum emensus, supremum diem obit.

Attamen exiguis est numerus eorum, quorum vita sine sollicitudine doloribusque finitur, plurimos mors gradatim extinguit, partes ab organis centralibus remotiores primum labuntur, pedes interdum gangraena senili afficiuntur. Nec raro senes grand-

aevi, imo aliquanto ante mortem, torpore et sopore premuntur, et per brevia tantummodo intervalla mentem recipientes, plantae ad instar vitam degunt, iis, quae humanorum eis insunt, paene exstinctis. Tandem motu cordis cerebrique actione feriante, quod reliquum vitae erat, aufertur.

VITAE CURRICULUM,

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Natus sum ego, ADOLPHUS FFRDINANDUS MüLLER,
Halberstadii, anno MDCCCIV, patre SAMUELE MüLLER,
ecclesiae cathedralis Halberstadiensis organoedo, matre
ELEONORA, e gente WINTERIANA.

Parentibus optimis praematura morte ereptis, cura
atque tutela puer utebar novercae carissimae et aestu-
matissimae, e gente KUHNIANA, quae matris instar me
semper fovit. Inde a septimo vitae anno scholas Hal-
berstadienses et Gymnasium Illustre, quod Cel. MAASS
directore floret et florebit, frequentans, elementis reli-
gionis secundum Lutheri formulas omnibusque, quae
studiis academicis viam muniunt, eruditus sum.

Examine deinde feliciter superato, Halam petii et
Illustr. A JACOB, Prorectore Magnifico, XXIX d. mens.
Octbr. anni MDCCCXXIV in civium academicorum nu-
merum receptus sum. Ibi scholis interfui hisce Viro-
rum doctissimorum: Illustr. MECKEL de anatomia cor-
poris humani universa, Illustr. GRUBER de anthropologia,
Illustr. SCHWEIGGER de physice et chemia experimen-
tale, Illustr. GERLACH de logica et psychologia empi-
rica, Illustr. SPRENGEL de botanice, Illustr. FRIEDLAEN-
DER de encyclopaedia et methodology artis medicae et
de anthropologia psychica, Illustr. VITSCH de zoologia
et entozoologia. Artem funera secandi Illustr. MECKEL
me docuit.

Anno MDCCCXXVI Berolinum me contuli et Il-
lustr. BOECKH, Rectore Magnifico, die XVIII mens.
Aprilis Medicinae studiosis adscriptus sum.

Ab illo inde tempore praeceptores mihi fuere maxime colendi: Illustr. RUDOLPHI de physiologia, de anatomia et comparata et pathologica, Illustr. MITSCHERLICH de chemia experimentali, Cel. ECK de pathologia generali, Cel. TURTE de pharmacia, Cel. HECKER de pathologia speciali, Illustr. HORN de syphiliticorum cura et de therapia speciali. Materiam medicam et fontium medicorum historiam Illustr. OSANN, artem formulas medicas concinnandi Cel. CASPER me docuerunt.

Artem fascias rite imponendi, artem obstetriciam et ossium fractorum luxatorumque cognitionem Illustr. KLUGE, chirurgiam et generalem et specialem Illustr. RUST, et akiurgiam Illustr. Viris RUST et KLUGE debeo. Medicinam forensem Illustr. WAGENER mihi tradidit.

Clinica chirurgico-ophthalmiatrica duce Illustr. DE GRAEFE et duce Illustr. RUST, Clinica medica duce Illustr. BARTELS et duce Illustr. NEUMANN per duo semestria frequentavi.

Quibus *clarissimis* et *generosissimis*, quod usus sim, *praeceptoribus*, jure mihi gratulor, iisque gratias quam maximas habere nunquam desinam.

Jam vero tentaminibus examineque rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite peractis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur

THESES DEFENDENDAE.

I.

Et *utero simplici superfoetatio fieri potest.*

II.

Arsenicum in curandis febribus intermittentibus plane rejiciendum esse, nego.

III.

Lithiasin et arthritidem morbos esse similes, existimo.

IV.

Ad sanandum delirium tremens saepenumero exigua opii portio sufficit.

V.

Moriendum esse, certum omnino, mortuum esse, incertum aliquando.
